Duo ſchemata domus ſaltus Libani, ſiue domus columnarum, ſiue Regiæ ruſticæ.

Primum ſchema domus ſaltus Libani, in quo ſublato pariete, oculis tuis ſubiecimus ſexaginta illas cedrinas columnas manſionis inferioris, & quadragintaquinque manſionis ſuperioris.



AB — Longitudo centum cubitorum.
AC — Latitudo L. cubitorum.
DE — Altitudo xxx. cubitorum.
FGHI. — Quatuor deambulatoria, ſiue potius quatuor ordines columnarum cedrinarum in inferiori parte domus, numero ſexaginta.
KLM — Tres ordines colũnarum in ſuperiori parte numero xlv.
N — Porticus columnarum, ſiue porticus domus columnarum, aut porticus ſeu veſtibulum domus ſaltus Libani, L. cubitorum longitudinis, & latitudinis xxx. Porticus hęc obiecta & coniuncta fronti domus columnarũ, habebat contignationem vnam deambulationis cauſa, neque certo numero columnarum conſtabat, quanuis illi ſex adiecerimus in vtroque ſchemate: quod fecimus vt intelligas eã quoque ſuum columnarum numerum habuiſſe, incertum tamen, ꝙ illum ſcriptura non exprimat.

Secundum ſchema domus ſaltus Libani, in quo & alterum parietem regiæ ipſius, & alteros feneſtrarum ſuperioris manſionis terniones tibi expreſſimus. Erant enim in vtroque latere ſuperioris manſionis regiæ huius ruſticæ, multiplices feneſtrarum terniones.